

5.° Vocandi. (Ter. Andr. 3. 2. 12). *O DAVE, itane contemnor abs te?* (Prop. El. 2. 15. 1). *O me felicem, o NOX mihi CANDIDA!*

N. B. 1.° Interdum *o* omittitur, quum lenior est affectus. (Cic. Pison. 4). *MISERUM ME!* cum hac me nunc peste atque labe confero. (id. Att. 10. 10). *ME CAECUM, qui haec ante non viderim!*

N. B. 2.° *O* non solum quum adverbium est vocandi, vocativo adhaeret, verum etiam quum est interjectio. (Cic. Pison. 26). *O paterni generis OBLITE, materni vix MEMOR.*

449. *Heu et proh* modo nominandi vel potius vocandi, modo accusandi casum postulant. (Virg. Aen. 6. 879). *Heu PIETAS, heu prisca FIDES!* (Hor. Od. 3. 5. 7). *Proh CURIA, inversique MORES!* (Cic. Phil. 7. 4). *Heu ME MISERUM! cur senatum cogor, quem laudavi semper, reprehendere?* (Id. Phil. 2. 13). *Quae enim res umquam, proh SANCTE JUPITER! non modo in hac urbe, sed in omnibus terris est gesta major?*

N. B. *Heu* etiam dativo gaudet. (Plaut. Merc. 4. 3. 2). *Heu MISERAE MIHI!*

450. *Hei, vae* dativo gaudent. (Ter. Heaut. 2. 2. 5). *Hei MISERO MIHI!* (Id. Hecyr. 4. 2. 29). *Vae MISERO MIHI!*

N. B. *Cedo et apage*, quum verba sint imperativi modi, non est, cur interjectionibus adnumerentur; postulant autem accusativum. (Cic. Verr. 4. 20). *Cedo TABULAS.* (Vatin. apud Cic. Fam. 5. 40). *Apage TE cum nostro secto Servilio.*

CAPUT XXI

DE CONJUNCTIONIS CONSTRUCTIONE

451. Conjunctiones, quae coordinandis propositionibus inserviunt, sunt *copulativae, disjunctivae, adversativae, causales et illativae.*

452. *COPULATIVAE* sunt *et, que, atque, ac, nec, neque.* Ex his *que* enclitica est, easque partes conjungit, quae velut in unum coalescunt; ac vix praeponitur vocalibus et consonis *c, g, q.* (Cic. Som. Scip. 7). *Quum ad idem, unde semel profecta sunt, cuncta astra redierint, eademque totius coeli descriptionem longis intervallis retulerint.* (id. N. D. 2. 58). *Colorum etiam ET figurarum tum venustatem ATQUE ordinem ET, ut ita dicam, decentiam oculi judicant, ATQUE etiam alia majora.* (Caes. B. G. 4. 35). *Nostrorum impetum hostes ferre non potuerunt, AC terga verterunt.*

453. Saepe repetitur conjunctio (*polysyntheton*), ut in singulis mens defigatur, vel prorsus omittitur (*asintheton*), ut incitator feratur oratio, vel tandem, quo major comparetur gravitas, certa quaedam verba iterantur (*anaphora*). (Cic. Fam. 13. 25). *Eum tibi magno opere commendo ut ET hospitem meum, ET familiarem, ET gratum hominem, ET virum bonum, ET principem civitatis suae, ET tua necessitudine dignissimum.* (id. Tusc. 5.

21). *Aderant unguenta, coronae, incendebantur odores; mensae exquisitissimis epulis extruebantur.* (id. N. D. 59). *Denique HAC cohortamur, HAC persuademus, HAC consolamur afflictos, HAC deducimus perterritos a timore, HAC gestientes comprimimus etc....*

454. *DISJUNCTIVAE* sunt *aut, vel, ve, sine.* *Aut* saepe disjungit res contrarias, caeterae similiores formas conjungunt: *ve* enclitica est. (Cic. Tusc. 1. 7). *Id ergo est pronuntiatum, quod est verum AUT falsum.* (id. Tusc. 2. 20). *A virtute profectum VEL in ipsa virtute positum.*

N. B. 1.° Iterantur etiam ut *copulativae.* (Cic. Tusc. 4. 7). *AUT hoc dicis AUT nihil dicis omnino.* (Sall. Cat. 20). *VEL imperatore, VEL milite me utimini.*

N. B. 2.° Conjunctiones copulativae et disjunctivae, quum ad idem verbum referuntur, similes casus connectunt. (Cic. Phil. 12. 40). *Quis non dolet interitum talis et civis et viri?* (id. Sen. 16). *Quid de pratorum viriditate aut arborum ORDINIBUS aut vinearum olivetorumve SPECIE dicam?* [410].

N. B. 3.° Interdum huic constructioni certa dictionum proprietas obstat, ut *fui Romae et Athenis: Brundisii aut Sulmone mortuus est: emistine librum centusse an minoris?* Malim esse *Barcinone* quam *Matriti.*

455. Propositiones negativae imperativi et subjunctivi coordinantur intercedentibus conjunctionibus *neve, neque, neu.* (Caes. B. C. 5. 92). *Pompejus suis praedixerat, ut Caesaris impetum exciperent, NEVE se loco moneant.* (Cic. Leg. 2. 25). *Hominem mortuum in urbe ne sepelito, NEVE urito.* (Caes. B. G. 2. 21). *Caesar milites cohortatus est, uti suae pristinae virtutis memoriam retinerent, NEU perturbarentur animo.* (Cic. Rep. 1. 2). *Teneamus eum cursum, NEQUE ea signa audiamus, quae receptui canunt.*

N. B. Etiam cum indicativo in altero membro elegantius usurpatur *nec, neque,* quam *et non.* (Cic. Off. 5. 40). *Id quod utile videbatur, NEQUE erat.* (Lo que parecia útil sin serlo). Item pro *et nullus, et numquam* melius dicitur *nec ullus, nec umquam.* (Cic. Sen. 19). *Horae quidem cedunt, NEC praeteritum tempus UMQUAM revertitur.*

456. *ADVERSATIVAE* oppositionem significant inter propositiones; sunt autem *sed, verum, autem, vero, at, atqui, non modo (solum).... sed (verum) etiam.*

Sed et verum saepe limitant prius dicta. (Cic. Att. 4. 18). *Atque hi non sunt permolesti; SED tamen insident et urgent.*

Autem, vero diversitatem aliquam potius quam oppositionem significant, et post unum vel alterum verbum collocantur. (Cic. de Or. 4. 49). *Est finitimus oratori poeta, numeris adstrictior paulo, verborum AUTEM licentia liberior, multis VERO orandi generibus socius.*

At (raro *ast*) et *atqui* vehementiores sunt: *at* inservit etiam difficultatibus proponendis. (Cic. Tusc. 3. 26). *Aeschines in Demosthenem invehitur. At quam rhetorice! quam copiose!* (id. Att. 8. 3). *At recuperabit rempublicam. Quando? aut quid ad eam spem est parati?* (id. ib.). *O rem inquis difficilem et inexplicabilem! ATQUI explicanda est.*

Non modo (non).... sed etiam (ne... quidem) significant gradationem, quae modo ad majus progreditur, modo ad minus descendit. (Cic. Som. Scip. 7). *NON MODO aeternam, SED NE diuturnam QUIDEM gloriam assequi possumus.* (id. Att. 2. 21). *Ut ipse ETIAM sibi, NON IIS SOLEM, qui aderant, displicebat!*

N. B. Adhibentur etiam *quum.... tum (etiam).* (Cic. Fam. 13. 13). *Et QUUM virtutibus, TUM ETIAM fortuna ornabatur.*

457. CAUSALES SUNT *nam, namque, enim, etenim; enim* ponitur in secunda sede, caeterae in prima. (Caes. B. G. 4. 34). *Tempore opportunissimo Caesar auxilium tulit; NAMQUE ejus adventu hostes constituerunt.* (id. Off. 2. 12). *Eadem constituendarum legum fuit causa, quae regum. Jus ENIM semper quaesitum est aequabile: neque ENIM aliter esset jus.*

458. ILLATIVAE SUNT *ergo, igitur, itaque. Igitur* fere secundum locum obtinet, nunquam etiam *ergo*. (Cic. Tusc. 1. 6). *Ubi ERGO sunt ii, quos miseros dicis?* (id. ib.). *Quid dicis IGITUR?*

CAPUT XXII

DE FIGURIS [418-425]

459. Figura est nova loquendi ratio a trito et vulgari sermone remota, quae fere ratione aliqua usuve disertorum nititur.

§ I. SYNESIS ET ELLIPSIS

460. *Synesis* est figura, qua 1.° nominativus et verbum; 2.° adjectivum et substantivum; 3.° relativum et antecedens interdum sensu et significatione consentiunt, quamvis voce discrepent. Hujusmodi figura praesertim apud historicos et poetas reperitur. (Virg. Aen. 1. 212). PARS *in frusta SECANT, veribusque tremantia FIGUNT.* (Ter. Andr. 3. 5. 1). *Ubi ILLIC SCELUS est, qui me perdidit?* i. e. ille sceleratus.

461. *Ellipsis* figura est, qua id, quod in oratione deest, foris omnino petendum est. (Cic. Att. 15. 17). *Ego, si Tiro ad me, cogito in Tusculanum:* (subintelligatur *proficisci*). (id. Att. 6. 1). *Quae* (statua) *ad Opis per te posita in excelso est,* i. e. ad templum Opis.

Ante gerundium dativum eleganter desideratur *par, utilis, aptus.* (Cic. Att. 13. 10). *SOLVENDO non erat.* (Liv. Hist. 30. 6). *Ea modo, quae RESTINGUENDO igni forent, portantes, in agrum romanum ruebant.*

In sermone familiari praesertim desiderantur passim verba *sum, inquit, dico, facio* et alia. (Cic. Phil. 2. 11). *Sed haec vetera; illud vero recens, Caesarem meo consilio interfectum.* (id. N. D. 2. 14). *Bene igitur idem Chrysippus* (supp. dixit). (id. Att. 1. 18). *Crassus verbum nullum contra gratiam.* (supp. facit vel dicit). (id. Sen. 13). *Sed quid ego alios?* (i. e. commemoro). Ita saepe *dii meliora.* (i. e. dent); *nihil ad me,* (attinet), *quid plura?* (dicam).

§ II. ZEUGMA, SYLLEPSIS ET PROLEPSIS

462. *Zeugma* habetur, quum id, quod in oratione desideratur, e proximo assumitur, manente eodem genere, numero, casu, caeterisque attributis. (Cic. Parad. 6. 2). *Nulla possessio, nulla vis auri et argenti pluris quam virtus AESTIMANDA EST.*

463. *Syllepsis* est, quae id, quod in oratione deest, e proximo assumit, mutato tamen genere aut numero, aut casu, aut aliquo e caeteris accidentibus. (Cic. Q. Fr. 2. 10). *Paene ille timore, ego risu corrui.*

464. *Prolepsis* fit, quum dictio aliqua totum significans praecessit, quae rursus in partibus intelligitur neque explicatur. (Liv. Hist. 1. 21). *Ita duo deinceps reges, ILLE bello, HIC pace, civitatem auxerunt.* (Sall. Cat. 58). *Exercitus hostium duo, UNUS ab urbe, ALTER a Gallia, obstant.*

§ III. ENALLAGE, ANACOLUTHON, HYPALLAGE ET HENDIADYS

465. *Enallage* figura est, qua pars una orationis pro alia ponitur, ut *vivere pro vita, nullus pro non.* (Cic. Att. 13. 28). *Quam turpis est assentatio, quum VIVERE ipsum turpe sit nobis.* (Id. Att. 11. 24). *Philotimus NULLUS venit,* i. e. *non venit.*

Aliqua nomina sunt, quae pro adverbis ponuntur, ut *recens, sublime, frequens, torvum,* etc. (Cic. Sen. 11). *Venio in senatum FREQUENS.* (Id. Div. 2. 31). *Ea scula, quae fuerunt SUBLIME fixa, sunt humi inventa* (n. 340. N. B.).

Nomen interdum, imo verbum etiam, quandoque loco interjectionis ponitur. (Cic. Verr. 2. 2. 17). *Quae, MALUM, ista fuit amentia?* (Id. Att. 5. 17). *AMABO te, incumbe in hanc rem.*

466. *Anacoluthon* (ex ἀ privativo et ἀκολουθῆω) fit quum incepta omititur constructio vel alia assumitur. (Cic. Cat. 1. 8). *Neque HI solum, sed etiam ILLI EQUITES ROMANI, CAETERIQUE FORTISIMI CIVES, EOSDEM facile adducam.* (id. Tusc. 1. 7). *OMNE PRONUNTIATUM* (sic enim mihi in praesentia occurrit ut appellarem ἀξίωμα, utar post alio, si invenero melius); *id ergo est PRONUNTIATUM, quod est verum aut falsum.*

467. *Hypallage* (ὑπαλλαγή, mutatio) fit quum adjectiva non tribuuntur substantivo cui respondent, sed alii, quod tantum poetae faciunt. (Virg. Aen. 6. 269). *Ibant OBSCURI SOLA sub nocte per umbram:* (pro *ibant soli sub obscura nocte*).

468. *Hendiadys* (ἐν δια δύοῖν) exprimit per substantivum quod erat per

adjectivum dicendum vel genitivum. (Virg. G. 2. 192). *Pateris libamus et AURO*; (pro *pateris aureis*). (id. Aen. 1. 61). *Molem et MONTES insuper ALTOS imposuit*: (pro *molem altorum montium*).

§ IV. HYPERBATON

469. [434]. Quum orationis structura decoris gratia variatur, neglecto simplici sermonis ordine, non vitium est sed virtus, quae *hyperbaton* appellatur, id est, *transgressio verborum*. Neque enim, ut in sermone vernaculo, eum verba obtinent locum, quem naturalis ordo secundum traditis constructionis leges requirere videbatur; sed singulorum sedes quum vi ac robore eorum quae dicuntur, tum etiam harmonia, cujus iudicium est aurium, definiuntur. Quoniam autem primus et postremus locus majoris sunt roboris, remque in clariore luce collocant, subjecto vero et verbo tota quasi fulcitur oratio; ideo ita saepissime a praestantissimis scriptoribus vocabula permiscuntur, ut prima sedes subjecto tribuatur, postrema verbo, caetera in medio collocentur. (Cic. Att. 4. 1). Nos *adhuc in nostro statu, quod difficillime recuperari posse arbitrati sumus, splendorem nostrum illum forensem, et in senatu auctoritatem, et apud viros bonos gratiam, magis quam optaramus, CONSEQUUTI SUMUS*.

470. Saepe tamen haec structura variatur, quo major principi vocabulo virtus accedat. Hac de causa

1.° Verbum nonnumquam initio, nominativus vero in fine collocatur. (Cic. Att. 9. 10). *Do, do poenas temeritatis meae*. (id. Cat. 1. 4). *FUISTI igitur apud Leccam illa nocte; DISTRIBUTISTI partes Italiae; DESCRIPSISTI urbis partes ad incendia*. (id. Verr. 2. 5. 62). *ARDEBANT oculi... EXPECTABANT omnes... CLAMABAT ille miser... CAEDEBATUR virgis...* (id. Brut. 92). *Princeps et erat et habebatur HORTENSIVS*. (id. Fam. 14. 5). *Nam mihi ante oculos dies noctesque versatur SQUALOR VESTER et MOEROR et INFIRMITAS valetudinis tuae*. (id. N. D. 2. 37). *Nescio an ne in uno quidem versu possit tantum valere FORTUNA*.

2.° Complementum modo ponitur in fine, modo in principio: hoc autem saepissime fit quoties idem verbum iteratur. (Cic. Brut. 92). *Nimis multa videor de me, ipse praesertim; sed omni huic sermone propositum est, non ut ingenium et eloquentiam meam perspicias, unde longe absum; sed ut LABOREM et INDUSTRIAM*. (id. N. D. 2. 7). *TANTUM ORNATUM mundi, TANTAM VARIETATEM PULCHRITUDINEMQUE rerum coelestium, TANTAM VIM et MAGNITUDINEM maris atque terrarum, si tuum ac non deorum immortalium domicilium putas, nonne plane desipere videare?*

3.° Aliquando etiam vel incipimus vel desinimus abverbio. (Cic. Att. 9. 10). *Mihi autem haeserunt illa: MALE Tarquinius qui Porsenam contra patriam, IMPIE Coriolanus qui auxilium petiit a Volscis, RECTE Temistocles qui mori maluit*. (id. N. D. 2. 37). *PRAECLARE ergo Aristoteles*. (id. Att. 8. 3). *Nihil actum est a Pompejo nostro SAPIENTER, nihil FORTITER*. (id. Fam. 14. 3). *Meum fuit officium vel legatione vitare periculum, vel diligentia et copiis resistere, vel cadere FORTITER*. (id. Fam. 16. 12). *Quem omnino facturum confido; recepit enim et mecum loquutus est SUAVISSIME*.

4.° Etiam quodcumque aliud verbum vel initio vel in exitu ponitur, quo vehementius animum percellat. (Cic. Cat. 1. 1). *AD MORTEM te, Catilina, duci jussu consulis jampridem oportebat*. (id. Marcel. 1). *DIUTURNI SILENTII, patres conscripti, quo eram his temporibus usus, non timore aliquo, sed partim dolore, partim verecundia, finem hodiernus dies attulit*. (Caes. B. G. 1. 7). *Propterea quod aliud iter haberent NULLUM*. (id. B. C. 1. 6). *Quod ante hoc tempus accidit NUMQUAM*. (Cic. Or. 5). *Marcus Antonius disertus ait se vidisse multos, eloquentem omnino NEMINEM*. (Cic. Att. 9. 10). *Sed ea quae scripsi me tardarunt, et auctoritas maxime TUA*.

5.° Latini certis quibusdam verbis saepissime ordiuntur, quibus quasi vinculis periodos connectunt. Hujusmodi sunt:

α) Demonstrativa. (Cic. Att. 2. 22). *HAEC et in eam sententiam quum multa dixisset, ajebat illum primo sane diu multa contra*. (id. Att. 1. 15). *EJUS autem collega et in me perhonorificus, et partium studiosus ac defensor bonarum*. (id. Fam. 7. 5). *HUNC ego belli finem feci*. (id. ib.). *HAEC ad te scripsi verbosius*. (id. ib.). *HAEC coram tecum malueram*. (id. Off. 2. 25). *ILLUD est Catonis, a quo quum quaereretur...* (id. N. D. 2. 55). *Sed ILLA quanta benignitas naturae*. (id. ib.). *Hic quaerat quispiam*.

β) Relativa. (Cic. Tusc. 5. 20). *QUI quum esset bonis parentibus atque honesto loco natus*. (id. Som. Scip. 1). *QUEM ut agnovi, equidem cohorrui*. (id. Att. 1. 15). *QUIBUS epistolis sum equidem abs te lacessitus ad scribendum*. (id. Att. 9. 11). *QUOD si ita est*. (id. Fin. 5. 28). *QUO qui potitur*. (id. Som. Scip. 5). *QUAE quum intuerer*. (id. ib. 8). *QUAE quum dixisset*. Ex quibus exemplis illud etiam facile intelliges, relativum subjiciendi particulis saepissime praeponi.

γ) Particulae parataxeos, maxime vero causales, adversativae: quibus certe vix aliquam periodum orbatam reperias.

471. Praeter hec notanda sunt etiam quae sequuntur.

1.° Ejusdem orationis pronomina apte conjunguntur (1). (Cic. Fam. 2.

(1) Continuantur etiam saepe quum similia, tum contraria. Quod si duo verba duo-

2). *Gravi teste privatus sum amoris summi erga TE MEI.* (id. Att. 2. 1). *EGO enim TIBI ME non offerebam.* (id. Att. 3. 1). *IS MIHI litteras abs te et commentarium consulatus mei graece scriptum reddidit.*

2.º Nonnulla sunt natura conjuncta, quae eleganter aliquando quibusdam interpositis longius distrahuntur. Ejusmodi sunt

α) Adjectivum a substantivo. (Cic. Brut. 1. 1). *Opinione omnium MAJOREM animo cepi DOLOREM.* (id. Att. 2. 22). *Nunc mihi et CONSILIIUS opus est TUIS, et amore et fide.* (id. Att. 8. 3). *Quid perturbatius HOC ab urbe DISCESSU?*

β) Substantivum a suo casu. (Cic. Fam. 4. 5). *ILLIUS in te AMOR.* (id. Som. Scip. 4). *Hic vero tantus est TOTIUS MUNDI incitatissima conversione SONITUS.* (id. Att. 8. 3). *QUID ad eam spem est PARATI?* (id. ib.). *Itaque habui NIHIL omnino NEGOTII.*

γ) Verbum sum a participio. (Cic. Fam. 9. 11). *Hilaritas illa nostra et suavitas, quae te praeter caeteros delectabat, EREPTA mihi omnis EST.* (id. Fam. 2. 5). *Ea para, meditare, cogita, quae esse in eo civi ac viro debent, qui SIT rempublicam afflictam et oppressam miseris temporibus ac perditis moribus, in veterem libertatem et dignitatem VINDICATURUS.*

δ) Vocabula quae ad idem verbum referuntur. (Cic. Acad. 2. 2). *Ea fere sunt GRAECIS LITTERIS celebrata et LATINIS.* (id. Leg. Man. 10). *DOLORI suo maluit quam AUCTORITATI VESTRAE obtemperare.* (id. Fam. 14. 3). *Quum DOLORE conficior, tum etiam PUDORE.*

3.º Propositiones subjectae, etsi saepissime orationi principi praemittuntur, et periodi protasim efficiunt, tamen non raro eidem inseruntur. Id autem fit quoties aliquod verbum utrique orationi commune in ipsis invenitur: v. g.

Nominativus. (Cic. Phil. 2. 16). *HOMINES, quamvis in turbidis rebus sint, tamen, si modo homines sunt, interdum animis relaxantur.* (Nep. Reg. 2). *PYRRHUS, quum Argos oppidum oppugnaret in Peloponneso, lapide ictus interiit.*

Accusativus. (Ter. Heaut. 4. 1. 632). *Id quidem ego, etiamsi neges, certo scio.*

Alius casus. (Cic. Off. 3. 31). *L. MANLIO, quum dictator fuisset, M. Pomponius tribunus plebis diem dixit.*

bus verbis opponantur, in altero membro fere adverso ordine conjunguntur. (Cic. Fin. 3. 3). *RATIO nostra CONSENTIT, REPUGNAT ORATIO.* (id. de Or. 3. 35). *Malim equidem INDISERTAM PRUDENTIAM, quam STULTITIAM LOQUACEM.* Haec porro verborum collocatio vocatur *chiasmus* (χ:α:σ:μ:ό:ς) a littera χ, quae crucis in modum intersectantibus se ipsi duabus obliquis lineis depingitur.

Etiam ubi nullum est verbum commune, praemittitur vocabulum cui major vis tribuenda videatur. (Cic. Fam. 11. 21). *TUIS enim OPIBUS et CONSULATU TUO, etiamsi timidi esemus, tamen omnem timorem abjiceremus.*

N. B. Aptissimus hic esset locus tradendis legibus periodi, qua una fere tota sermone concinnitas continetur. Est enim periodus, ut ait Cicero (de Or. 3). *Oratio in quodam quasi orbe inclusa, procurrens quoad persistat in singulis perfectis absolutisque sententiis: duabus autem partibus constat, quarum alteram protasin, alteram apodosin vocare solent. Sed haec multo melius adolescentes, quum ad artem bene dicendi gradum fecerint, cognoscent. Illud observasse sufficiat: periodum modo duo, modo tria aut etiam quatuor membra continere, quae quidem justae magnitudinis debent esse, ut gratior venustiorque evadat oratio.*

472. *Hyperbati* sive *transgressionis* aliquot sunt species, quae elegantiae causa usurpantur.

1.º *Anastrophe* est *duorum verborum ordo praeposterus*, ut *mecum, tecum, secum, nobiscum, vobiscum, quibus de rebus.* *Anastrophe* illa Virgillii. (Aen. 1. 573). *URBEM quam statuo vestra est: pro quam urbem statuo;* item illa Terentii. (Eun. 4. 3. 11). *EUNUCHUM quem dedisti nobis, quas turbas dedit: pro quem eunuchum, etc.,* admodum dura est et fugienda.

2.º *Tmesis* est, *quum verbum compositum dividitur, aliqua dictione interposita.* (Cic. Att. 5. 10). *PER mihi GRATUM erit, si id curaris ad me perferendum.* (id. Sen. 4). *Omnia memoria tenebat NON domestica SOLUM, sed etiam externa bella.* Ejusdem generis sunt illa: *REM vero PUBLICAM penitus amisimus; praeclarum est pro patria REQUE PUBLICA mortem oppellere.*

3.º *Parenthesis* est *brevis sensus sermoni, antequam absolatur, interjectus.* (Cic. Phil. 3. 11). *O praeclarum custodem ovium (ut ajunt) lupum!* (Liv. 23. 48). *Huic pugnae equestri rem (quam vera sit, communis existimatio est) mirabilem certe, adjiciunt quidam annales.* Illud vero cavendum diligenter, ne longior parenthesis, neve crebro adhibeatur.

CAPUT XXIII

HELLENISMUS [427]

473. *Hellenismus* est loquendi ratio, quae graeci potius quam latini sermonis leges servat.

§ I. HELLENISMUS IN CONCORDANTIA

474. *Hellenismus* est 1.º *ponere verbum dissentiens numero a nominativo intellecto.* (Prop. El. 3. 9. 12). *Est, quibus Eleae concurret palma quadrigae, EST quibus in celeres gloria nata pedes.*

2.º *Adjectivum neutrum substantivo masculino aut feminino conjunctum.* (Cic. Fam. 6. 21). *Quum omnium rerum mors sit EXTREMUM.* (Virg. Aen. 4. 659). *VARIUM et MUTABILE semper femina.* (id. Ecl. 3. 80). *TRISTE lupus stabulis.* (id. ib. 8). *DULCE satis humor.*

3.º Relativum expressum casu, quem postulat verbum antecedens, non consequens, a quo pendet. (Luccej. Fam. 5. 14). *Quum scribas et aliquid agas eorum, QUORUM consue- sti, gaudeo.*

§ II. HELLENISMUS IN NOMINE

475. 1.º Nominativus pro vocativo, Atticorum more. (Liv. Hist. 1. 24). *Audi tu, POPU- LUS ALBANUS.* (Virg. Aen. 6. 836). *Projice tela manu, SANGUIS MEUS.*

2.º Genitivus pro nominativo. (Cic. Fin. 5. 1). *Venit mihi PLATONIS in mentem.*

3.º Genitivus pro dativo cum adjectivis *Fidus, par, aequalis.* (Cf. n. 262 et 267). (Virg. Aen. 12. 659). *Regina TUI fidissima.*

4.º Genitivus pro ablativo post adjectiva *Alienus, dignus, dives, orbis, cassus, onustus, immunis*; et post verba *Libero, impleo, compleo, abstineo, desino, miror, regno.* (Liv. Hist. 4. 19). *Senatus nec liberavit EJUS CULPAE regem, nec arguit.* (Cic. Fam. 9. 18). *Aestimationes tuas vendere non potes, neque ollam DENARIORUM implere.* (Virg. Aen. 11. 126). *JUSTITIAENE prius mirer belline LABORUM.* (Hor. Od. 2. 9. 47). *Abstineto dixit IRARUM calidaeque RIXAE.*

5.º Genitivus pro ablativo vel accusativo spatii. (Cic. Att. 5. 17). *A quibus aberam BIDULI.* Nempe iter aut viam. Item illa *amens animi, victus animi* pro animo. (Cf. n. 295).

6.º Dativus pro ablativo et praepositione ab additus verbis passivis. (Cf. n. 418. N. B. 3.º). (Cic. de Cl. Or. 58). *Auditus est NOBIS Laeliae Caji filiae saepe sermo.* (id. Fam. 6. 6). *Notantur MIHI ad divinandum signa.* (Ovid. Pont. 3. 9. 39). *Quum toties eadem dicam, vix audior ULLI.*

7.º Dativus additus verbo *Defendo.* (Virg. Ecl. 7. 47). *Solstitium PECORI defendite.*

§ III. HELLENISMUS IN VERBO

476. 1.º Indicativus pro conjunctivo in propositione condicionali impossibili. (Cf. n. 397. γ. N. B. 2.º). (Ovid. Amor. 1. 6. 34). *Solus ERAM, si non saevus adesset amor, id est, solus essem.* (Hor. Od. 2. 47. 27). *Me truncus illapsus cerebro SUSTULERAT, nisi Faunus ictum dex- tra levasset; pro sustulisset.* (Mart. Ep. 1. 22). *Si non errasset; FECERAT ille minus; id est, fecisset.*

2.º Infinitum pro gerundio ablativo. (Cf. n. 423. N. B.). (Virg. Ecl. 5. 4). *Boni quoniam convenimus ambo—Tu calamos INFLARE leves, ego DICERE versus.* (id. G. 4. 284). *Septima post decimam felix et PONERE vitem—Et prensos DOMITARE boves.* (Hor. Od. 4. 3. 25). *Audax omnia PERPETI.* (id. ib. 4. 8. 7). *Hic saxo, liquidis ille coloribus sollers nunc hominem PONERE, nunc deum.* (id. ib. 25). *Vosque veraces CECINISSE Parcae.*

3.º Infinitum pro gerundio accusativo et praepositione ad. (Cf. n. 423. N. B.). (Virg. Aen. 1. 527). *Non nos aut ferro Lybicos POPULARE penates—Venimus, aut raptas ad litora VERTERE praedas.* (Hor. Od. 4. 2. 7). *Proteus pecus egit altos VISERE montes.* (Ter. Phorm. 1. 2. 52). *Vultisne eamus VISERE?* (Hor. Ep. 1. 46. 12). *Fons etiam rivo DARE nomen idoneus.* (id. Od. 3. 21. 22). *Segnesque nodum SOLVERE Gratiae.* (id. Od. 4. 45. 7). *Conjurata tuas RUM- PERE nuptias.* (Virg. Ecl. 7. 5). *Et CANTARE pares, et RESPONDERE parati.* (Cic. Quint. 2). *Id, quod parati sunt FACERE.*

4.º Infinitum pro participio in dus. (Cf. n. 447). (Virg. Aen. 1. 319). *Dederatque comam DIFFUNDERE ventis.* (id. ib. 9. 362). *Ille suo moriens dai HABERE nepoti.*

CAPUT XXIV

ARCHAISMUS [426]

ARTICULUS I. ARCHAISMUS IN DECLINATIONE

477. *Archaismus est loquendi genus a prisca vetustate frequentatum.*

Archaismus fieri potest vel in usu vocum singularum, vel in vocum junctura sive syntaxi.

478. *Alter, alius, et caetera adjectiva anomala, in genitivo et dativo singulari priscis temporibus usitatam ac tritam declinandi rationem servabant.* (Cic. Div. 2. 43). *ALIAE pecudis.* (Ter. Eun. 5. 7. 5). *Mihi SOLAE ridiculo fuit.* (Auct. ad Herenn. 4). *Non enim res TOTAE REI necesse est similis sit.* (Catull. 47. 47). *Nec pili (hanc) facit UNI.*

Alteruter interdum flectebatur quoad utramque sui partem, adeo ut doceat Priscia- nus reperiri usurpata altera utra, alterius utrius a Cicerone, alterum utrum ab aliis.

479. A substantivis interdum risus gratia Plautus superlativum fingit: *O patruae, o patruae mi, PATRUISSUME.*

A gentili *Poenus* format *Poenior.*

Gellius a *plautinus, plautunissimus.*

Catullus a substantivo *cinaedus, cinaediorem.*

A pronomine *ipse, graeco more, ipsissimus* Plautus.

Mirificissimus a *mirificus.* Ter.

Parvissimus a *parvus.* Lucr.

Proximior a *proximus.* Sen.

Postremissimus a *postremus.* C. Gracchus.

N. B. Cave imiteris.

480. Veteres genitivum *mis, tis* pro *mei, tui,* usurparunt. Item *voster* pro *vester.*

Ipsus pro *ipse* passim occurrit apud Terentium et Plautum. Verum ab usu recessit.

Olli, dativus singularis pro *illi,* frequenter a Virgilio usurpatur.

Prisci nostratis, vestratis, arpinatis, Privernatis, et similia, pro *nostras, vestras, arpinas, Privernas* etiam dicebant. (Cf. n. 214. Obs.). (Cic. Orig. ap. Pric. 4. 629. Putsch.). *Si quis mortuus est ARPINATIS, ejus haeredem sacra non sequuntur.*

Neutrum (ut placet Grammaticis) desinebat in *e.* Verum eruditius saeculum maluit una figura omnia complecti genera. (Liv. 8. 43). *Eodem anno PRIVERNAS bellum intum.* (Cic. Att. 16. 13). *In quo (Ponte Tireno) flexus est ad iter ARPINAS.*

Sextus tamen horum casus saepius in *e* desinit, *Arpinate, Privernate, etc.*

ARTICULUS II. ARCHAISMUS IN VERBO

§ I. Sum, EJUSQUE COMPOSITUM Possum

481. *Sum* ab antiquis verbis *esum, suo* conflatur.

Ex *esum* oriuntur *es, est, eram, ero,* et alia, quae ab *e* inchoantur: hinc *estunto* pro *sunto.* (Cic. Leg. 3. 3). *Ast quando duellum gravius, discordiaeve civium ESTUNTO.... genus idem juris, quod duo consules, teneto.*

Ex *suo* fiunt *fui, fueram, futurus* et alia: item *fuam, fuas, fuit* pro *sim, sis, sit.* (Virg. Aen. 10. 188). *Tros Rutulovae FUAT, nullo discrimine habeto.* (Plaut. Capt. 2. 5. 71). *Caveto mihi iratus FUAS.*

Participium praesentis temporis *ens* formavit Sergius Flavius, quod durum quidem,

minime tamen aspernandum censet Quintilianus: tu cave illud usurpes, si eleganter loqui velis.

482. A possum dicebant prisci potessem, potesse, pro possem, posse. (Plaut. Aul. 2. 4. 30). Censen talentum magnum exorari POTESSE ab isthoc sene? (Ter. Eun. 4. 3. 24). Nihil POTESSE.

Priscis passiva hujus verbi erat potestur, poteratur, possetur. (Lucr. N. R. 3. 4023). Quod tamen expleri nulla ratione POTESTUR.

Sicut siem, sies, siet pro sim, sis, sit prisci dicebant, ita possiem, pro possim.

§ II. CONJUGATIO LEGITIMA

I. PRIMA CONJUGATIO

483. Futurum perfectum primae conjugationis apud priscos asso syllabis terminabatur, ut amasso, amassis pro amavero, amaveris. (Plaut. Amph. 1. 1. 298). Si me IRRITASIS, hodie lumbifragium hinc auferes. (id. Asin. 2. 4. 61). Verbo cave SUPPLICASSIS. (Apud Cic. Leg. 3. 3). Interrogassit, judicassit, imperassit, creassit, locassit, et passive, turbassitur.

A futuro in asso formabant veteres futurum infiniti asserere, ut expugnassere, impetrassere. (Plaut. Mil. 4. 4. 35). Credo te facile IMPETRASSERE. (id. Capt. 1. 2. 64). Illum confido domum in his diebus me RECONCILIASSERE.

II. SECUNDA CONJUGATIO

484. Idem tempus in secunda conjugatione syllabis esso terminabatur. (Apud Cic. Leg. 2. 8). Separatim nemo HABESSIT Deos. (id. Leg. 3. 3). Ni par majorve potestas populusee PROHIBESSIT. (Plaut. Asin. 3. 3. 43). Non ped. m. discedat, si LICESSIT, i. e. si licu. rit.

Jusso pro jussero habet Virgilius. (Aen. 4. 467). Caetera, qua JUSO, mecum manus inferat arma.

III. TERTIA CONJUGATIO

485. Futurum perfectum tertiae conjugationis saepe in im exibat. Non raro hujusmodi tempus significationem habet praesentis subjunctivi. Huc pertinent verba, quae sunt in n. 441.

486. Imperativum verborum dico, duco, facio, fero veteres plene efferebant dice, duce, face, fere. (Plaut. Capt. 2. 2. 409). DICE, demonstra, praecipe, quae ad patrem vis nuntiare. (Ter. Andr. 5. 1. 44). Nos missos FACE. (Ovid. Pont. 2. 2. 64). Verba FACE, ut vita, quam dedit ipse, fruatur. (Plaut. Mostell. 1. 4. 44). DUCE me, amato.

Idem dic de compositis. (Virg. Aen. 4. 463). Voluse, armari Volscorum EDICE manipulis. (Ter. Adelph. 6. 7. 49). Tu illas abi et TRADUCE. (id. Adelph. 3. 4. 36). Hunc ABDUCE.

IV. QUARTA CONJUGATIO

487. Imperfectum quartae conjugationis saepe e littera imminutum a veteribus usurpabatur. (Virg. Aen. 4. 528). LENIBANT curas. (id. Aen. 7. 790). Auro INSIGNIBANT. (id. Aen. 8. 460). Tum mihi prima genas VESTIBAT flore juventa.

N. B. Ejusmodi non pauca sunt apud poetas, quae minime ipse tibi in soluta praesertim oratione permiserim.

Futurum ejusdem quartae in ibo usurpant poetae, praesertim comici. (Plaut. Phorm. 5. 1. 38). Numquam AUDIBIS verba tot tam suavia. (Hor. Od. 3. 23. 49). MOLLIBIT aetersos penates.

In tertiae quartaeque conjugationis gerundiis in di, do, dum, ac participiis ejusdem flexionis in dus, veteres e penultima syllabae per u efferebant. (Ter. Andr. prol. 5). In prologis SCRIBUNDIS operam abutitur. (Sall. Cat. 5). Hunc lubido maxima invaserat reipublicae CAPIUNDAE. (Cic. Fam. 9. 44). In consiliis CAPIUNDIS.

Hinc apud jurisconsultos, qui veterum edicta legesque interpretati sunt, extant in pandectis tituli: Communi DIVIDUNDO, ad legem Juliam de REPETUNDIS, familiae HERCISCUNDAE, i. e. rei hereditariae dividendae. Quas veterum loquendi formulas Cicero alii-que scriptores numquam sibi putarunt immutandas.

§ III. VERBA ANOMALA ET DEFECTIVA

488. Praeter verbum coepi, apud priscos fuit in usu coepio in temporibus imperfectis. (Plaut. Men. 5. 5. 57). Lites COEPIO. (Ter. Adelph. 3. 3. 43). Prius olfecissem, quam ille quicquam COEPERET.

Pro verbis nolo et malo apud Plautum invenies mavolo et nevolo, atque ex his mavellem, mavelim; nevis, nevult, et alias voces.

Queo et nequeo in voce passiva usurpata reperiantur. (Lucr. N. R. 1. 4044). Dum veniant aliae, ac suppleri summa QUEATUR. (Ter. Hecyr. 4. 1. 57). Forma in tenebris nosci non QUITA EST.

Quaeso, praeter primas personas, alias olim habuit. (Lucr. N. R. 5. 4228). Non dicum pacem votis adit, ac prece QUAESIT.

ARTICULUS III. ARCHAISMUS IN CONSTRUCTIONE

§ I. ARCHAISMUS IN CONCORDANTIA

489. Adjectivum numero dissentiens a substantivo. (Ter. Eun. 4. 3. 7). Nescio quid profecto, ABSENTE NOBIS, turbatum est domi, pro absentibus nobis.

§ II. ARCHAISMUS IN NOMINE

490. NOMINATIVUS pro genitivo cum verbo poenitet (n. 361). (Plaut. Stich. 4. 1. 50). Et me quidem HAEC CONDITIO nunc non poenitet, pro hujus conditionis.

GENITIVUS 1.º pro dativo cum verbo studeo. (Vetus poeta apud Cic. N. D. 3. 29). Qui patens te nec amet nec studeat tui, pro tibi.

2.º Pro accusativo cum verbis fastidio et vereor. (Plaut. Aul. 2. 2. 67). Fastidit MEI, pro me. (Lucil. ap. Non. 9. 3). Fastidimus BONORUM. (Ter. Phorm. 5. 8. 78). Neque hujus sis veritus FOEMINAE PRIMARIAE.

3.º Pro ablativo cum verbis careo, abundo, scateo. (Ter. Heaut. 2. 4. 20). Praeterquam tui carendum quod erat. (Lucil. ap. Non. 9. 6). Quarum et abundemus RERUM. (Lucr. N. R. 5. 40). Terra FERARUM—Nunc etiam scatet, pro feris scatet.

491. GENITIVUS PLURALIS additus gerundio in di loco accusativi. (Cf. n. 426. N. B. 4.º). (Plaut. Capt. 4. 2. 72). Nominandi tibi ISTORUM erit magis, quam edendi copia.

492. DATIVUS additus verbo refert. (Hor. Sat. 1. 4. 49). Quid referat intra—Naturae fines VIVENTI?

493. ACCUSATIVUS additus verbis careo, egeo, indulgeo, invideo, medeor. (Turpil. ap. Non. 9. 5). Meos PARENTES careo. (Cato. ap. Gell. N. A. 13. 22). Vitio vertunt, quia MULTA egeo. (Ter. Eun. 2. 1. 46). Nimis ME indulgeo, (alii legunt mi). (Plaut. Most. 4. 8. 59). Si ILLUM inservis solum. (Accius. ap. Cic. Tusc. 3. 9). Quisnam FLOREM liberum invidit meum. (Ovid. Heroid. 13. 137). TROADAS invideo. (Ter. Phorm. 5. 4. 3). QUAS (cupiditates), quum res adversae sint, paulo mederi possis.

Item verbis utor, abutor. (Plaut. Asin. 1. 3. 47). CAETERA QUAEQUE volumus uti, graeca mercamur fide. (Ter. Andr. prol. 5). In prologis scribundis OPERAM abutitur.

Accusativus pro ablativo additus nominibus opus et usus et praepositioni clam. (Plaut.

Truc. 5. 40). *Puero opus est CIBUM.* (id. Pseud. 4. 4. 152). *Ad eam rem usus est HOMINEM astutum.* (id. Casin. 2. 8. 31). *Clam meam UXOREM.*
Accusativus additus verbo exigo. Ut *exigo pecuniam, portorium.* Quare videntur pri-
sci etiam dixisse: *Exigo te pecunias, portorium;* quae saeculum eruditius rejecit.

§ III. ARCHAISMUS IN VERBO

494. Ad archaismum videntur pertinere verba communia passively usurpata in temporibus imperfectis. (Cic. ap. Prisc. 8. 793). *Hoc restiterat etiam ut a te fictis AGGREDE-
rer donis.* (id. ib. 8. 792). *Qui habet, ultro appetitur; qui est pauper, ASPERNATUR.*

Plurima exempla referuntur in verbis *adolor, consequor, consolor, vereor, utor,* alijs-
que quamplurimis, quae nunc sunt deponentia. Haec notanda videntur potius quam imitanda.

495. *Misereor* et *vereor* impersonaliter usurpata. (Turpil. ap. Non. 7. 80). *Quam MAT-
RIS, nunc PATRIS ME miseretur magis.* (Pacuv. ib. 9. 3). *Nihilne TE POPULI veretur, qui vociferare in via?*

Quos semel imitatus est Cicero (de Fin. 2. 43): *Aristippi Cyrenaicorumque omnium, quos non est veritum in voluptate summum bonum ponere.*

496. Futurum infiniti fixum, id est, nulla numeri aut generis variatione, usurpatum. (Valer. Ant. ap. Gell. N. A. 4. 7). *Haruspices dixerunt OMNIA ex sententia PROCESSU-
RUM esse.* (C. Gracch. ib. 47). *Credo ego INIMICOS MEOS hoc DICTURUM.*

Quos imitatur Cicero (Verr. 2. 5. 65). *Hanc sibi REM praesidio sperant FUTURUM.*
Huc videntur pertinere voces illae *amatum ire, lectum ire, oppugnatum ire, perditum ire,* pro *amare, legere, oppugnare, perdere.*

Adverbium in *um* ante comparativum. (Ter. Eun. 42. 51). *Ejus frater ALIQUANTULUM ad rem est avidior.*

LIBER TERTIUS

PROSODIA

PRAENOTIONES [437, 438]

497. Vocalium et syllabarum *quantitatem temporibus* (vel *morulis*) metimur, quorum ratione aut *breves* sunt, aut *longae*, aut *communes*.

Tempus est spatium quo vocalis aut syllaba pronuntiatur. Vocalis *brevis* ex uno tempore atque spatio constat: v. gr. *et*; *longa* duobus: v. gr. *ah*; *communis* vocatur, quae *brevis* aut *longa* esse potest: v. g. *virgō* (1).

N. B. Nulla vocalis apud Latinos perpetuo *brevis* aut *longa* est: apud Graecos ϵ et o , quae $\dot{\epsilon}$ et \dot{o} valent, perpetuo sunt *breves*; η et ω , quae $\bar{\eta}$ et $\bar{\omega}$ valent, semper sunt *longae*.

498. Consonis dimidiata tantum *morula* tribuitur: unde si vocali *brevis* simplex *consona* subjungetur, tum *vocalis* tum *syllaba* *brevis* permanebit: v. gr. *et*; si vero *duplicem* adiciemus *consonam*, *longam* *syllabam* efficiemus, etsi *brevis* persta-

(1) Vocalium omnium *brevitatem* et *longitudinem*, quae etiam *imperitae* *multitudini* olim nota fuit, ut docet Cic. Or. 51, hodie ne docti quidem distinguunt. Latini ut *vocales* *longas* in scribendo notarent, modo *litteras geminarunt* *Oscorum* et *Sabellorum* *more*, modo *longiorem formam* adhibuerunt (Cf. n. 65), modo *punctum* aut *virgulam* imposuerunt *productae vocali*: verum haec *numquam communia* fuerunt, et *brevi relictis* sunt.